UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Ecclesia

**Buchinger, Michael**

**Dilingae in Rhetia, 1556**

**VD16 B 8998**

Traditiones ecclesiasticæ obseruandæ sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64468

Visual Library

à ſede Aharonica cauſarum diſsidentium iudiciu.
At nunc in noua lege, ubi una ſumma eſt ſedes, quanquàm uicaria, ad illam in eccleſia dubijs in rebus confugimus.

Vide Pig. lib. 2. ca. 4. Eccl. hier.

Electio pōtificis qualis.

Qualiter autē ſit eligendus Pontifex, uide decre. Concil. Aurelianeñ. 4. Can. 2. ubi oſtenditur pontificij honorem non uotis eſſe quærendum, ſed meritis, ſed moribus, ſed omnium fauore & ſuffragio. Qui enim cenſurã habet & præeſt multis, hunc irreprehenſibilem eſſe oportet, &c.

Sed q̄d opus anxiè digladiari? cur dubitamus, inquàm, de Chriſti promiſsione Eccleſiæ facta: Cum certũ ſit ipſam eſſe fundatam ſupra FIRmã Petram & perpetuò manſuram?

## Traditiones eccleſiaſticæ ſunt obſeruandæ ut à Maioribus ſunt traditæ, & de his dubitare inſaniæ eſt inſolentiſsimæ.

AT obijcit acutulus Magiſtellus, Mandata Dei, non huiuſmodi pontificũ inuentiões, traditiones, cultus externus, etc. prædicãda ſunt, dicēte Paulo Ro. 16. Rogo uos fratres, ut obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam uos didiciſtis faciunt, decli-

declinate ab illis, &c. R. Imò & hominũ, ſi nihil diuinæ potentiæ derogãt: uide Baſilium li. de ſpiritu ſancto, ca. 27. Auguſtinũ Caſulano ſcribens Epi. 86. & ad Ianuariũ li. 1. ca. 1. Si quid per orbem frequentat eccleſia, inquit, an ita ſit faciendum diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Vide eũdem ad Pollentiũ li. 1. ca. 14. Gregoriũ Magnũ ad Leandrũ. Epiſtolam Athanaſii ad Epictetum Corinthiũ. Auguſtinum Epi. 163, ad Eleuſium. Et eundem Aug. de moribus eccleſiæ lib. 1. ca. 29. & in libro de utilitate credendi, cap. 17. &c. Traditiones hominũ nec reijciebat, neq; infirmabat Chriſtus, ſed querebatur & reprehendebat, quòd homines illis magis tribuerent, quàm præceptis ipſius Dei: uide Origenem Math. 24. Hie. ad Lunicium Bithicũ, etc, Sic etiam Paulus 2. Theſſ. 3. κρατεῖτε τας παραδόσις, hoc eſt, tenete firmiter conſtitutiones, &cæ. Præcipimus uobis, inquit, per nomẽ dñi noſtri IEſu Chriſti, ut ſubducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè ſe gerit, & nõ iuxta inſtitutionẽ quã à nobis accepit. Viden' traditiones Apoſtolorum eſſe obſeruandas ut Chriſti præcepta? Dic mihi, Buccinator, ubi in ſcripturis inueniam dominicam diem (in quo Deus lucem condidit: à mortuis reſurrexit: & Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit) ob-

ſeruari præceptum, quem eccleſia colendum præcepit? Dic rurſum ubi iuſſum fuerit in ſcripturis, diuorum eſſe uenerandas imagines? certè ſeptima ſynodus (367. patrum) condemnauit Iconomachos & Eiconoclaſtas. Dic, inquàm, quæ ſcriptura tradat patrem ingenitum dici? Nam Hipponenſis hoc ipſum in ſcripturis nuſquàm inuenire ſe potuiſſe teſtatur: & tamen ad ſubſtantiam fidei pertinet. Paſchale feſtum non alio quàm dominico die feſtiuum eſſe, quæ ſcriptura tradit? Profectò nuſquàm in ſacris literis iſtud comperies, &c. Sed & Paulus poſt ſuum reditum quædam Corinthijs pollicitus eſt ſe diſpoſiturum. Cætera, inquit, quum uenero diſponam. Quis pontificum cœtus tradidit baptizandos perungi oleo, domino docente Baptizari in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti? Quæ ſynodus ſancta ſanciuit feruentem aquam ſanguini dominico permiſceri? Vbi in Euangelio, & Epiſtolis Pauli, ſeu reliquis ſcripturæ locis hoc iuramentum, quod baptizandum facere oportet reperitur? Euſebius ex Philone oſtendit, tam uiros quàm mulieres in eccleſia primitiua ſua loca determinata habuiſſe, ut commodè & decenter ſacris intereſſent. Quod Apoſtolicæ

inſti-

inſtitutionis eſſe uides, 1. Corinth. 14. uide Chry-
ſoſtom. in Matth. Hom. 74. & cæt. Vnde etiam Apoſtolo-
non ſolum Apoſtoli impoſitionem manuum, quam rũ diaxa-
in Chriſto ſepius uiderunt, olei inunctionem, xis.
ſed & crucis ſignaculum, ad Orientem depræ-
candi ritum: &c. eccleſiæ obſeruanda tradide-
runt. State, inquit dominus, ſuper uias & Hiere. 6.
uidete, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ
ſit uia bona, & ambulate in ea: & inuenietis re-
frigerium animabus ueſtris. Et Deutero. 4. En
populus ſapiens & intelligens, gens magna, nec
eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos
appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter, adeſt
cunctis obſecrationibus noſtris, quæ enim eſt a-
lia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, iu-
ſtaq; iudicia, & uniuerſam legem, quam ego
proponam hodie ante oculos ueſtros? Cuſtodi
igitur temetipſum & animam tuam ſolicite. Sic
in Thelen. concilio lectum eſt. Ea quæ patrũ con-
ſtitutione ſunt cõſtituta firmiter obſeruare debe
tis, &c. Breuiter. Eccleſia cæremonijs utitur, nõ Cæremo-
quòd in his externis (ſi deſit Spiritus) fiduciam niæ.
reponi uelit, ſed utitur ueluti quibuſdam ui-
ſibilibus ſignis & ſtimulis religionis, non con-
temnendis: Nam & Auguſtinus ait, libr. 3.
de doctrina Chriſtiana, qui ueneratur utile

 ſignum

ſignum diuinitus inſtitutum, cuius uim ſignificationemq́; intelligit, non hoc ueneratur quod uidetur & tranſit, ſed illud potiùs, quo talia referenda ſunt. Proinde iniuriam & Deo & hominibus faciunt, qui cæremonias ex religione auferunt: Deo, quia cultum illi debitum detrahunt. Hominibus, quia præcipua eos parte fructus fraternæ charitatis fruſtrantur, &cæ. Multas & uarias ueteris eccleſiæ cæremonias, uide deſcriptas apud Epiphan. in fine librorum contra Hære. pag. 243. Non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt: Eapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione Sancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apoſtolus, ſicut tradidi uobis, &cæ.

Cõtra negantes cæremonias

Tolle itaque Cæremonias (quas adiutrices & pediſſequas religionis Chriſtianæ dicimus) ab eccleſia, & apud maximam Chriſtianorum partem, Dei cultum ſtatim extingues. Fac ne quiſquàm leuet manus, néue genua flectat, (de flectendo genua, uide dec. concil. Nicen. cano. 20. Hieronymum ad Lucinium. Eũdem Hier. aduerſus Luciferianos. Auguſti. contra Donatiſtas, libr. 4. cap. 24. &c.) aut ne tundat, aut oret non uelato capite: aut non in pedes erectus ſtet dum legitur Euangelion, aut id genus reli-

Flectere genua.

Autrix cõſuetudo

qua

qua prætermittat, uidebis infra paucos dies, eam (quam uocamus deuotionem) Euaneſcere penitus. Nam ea quæ adhuc uiget in paucorum Chriſtianorum pectoribus, quanquàm ſit pertenis illius cultus ſcintillula, cæremonijs tamen quaſi enutritur. Et niſi ad has cogerentur Chriſtiani (uide Roffenſem, & Pighium lib. 1. cap. 6. Qui uerba Phiſcheri citat) propediem aut quàm frigidiſsimus cultus Dei futurus eſſet. Si ergo uerum eſt, quod cenſuit uetuſtiſsimus Poëta, nempe moribus antiquis rem Romanam ſtare. Si laudatur ſententia Lyrici, eum eſſe uirum bonum, qui conſulta patrum, qui leges iuraq; ſeruet, quæ, rogo, inſania eſt, nos antiquitatem, & ueteres prothomyſtas martyres nihil facere, quum literis ſacris etiam liqueat, antiquas ſemitas præ nouis diſquirendas eſſe? Bonum itaq; opus eſt, & pertinet ad amicitiam crucis Chriſti, eccleſiæ ſeruare diſciplinas, ſiue ſint ieiunia, ſiue uigiliæ, ſiue orationes, ſiue ſtationes, & hoc genus alia, &cæ. Verùm hæc quandò non ſunt noſtri inſtituti abrumpam filum, illa enim memini craſsiori ſtilo in Tyrocinio præcipitato quidem opuſculo, tradidiſſe. De cæremonijs ſcripſit noſtra tempeſtate 6. libros D. Conradus Bruno iuriſconſultorum cō-

confirmatrix, & fidei obſeruatrix. Tertullia. de coron. militis.

ſultiſsimus, R. D. Cardinalis Auguſtani princi-
pis laudatiſsimi Cancellarius.

## Balatronum alterum garrulum obiectum.

AT ſcreat uulpinus Hiebuſæus philarchus, Bellulis ſuis argumentis nihil nō in eccleſia cachinno excipiens, ſeruos Dei impetens iniuriosé. Certé in ueſtra Ro. Eccleſia, Papiſtæ, nuſquàm apparēt pij miniſtri, idolo Laban multi ueſtri ordinis miris modis ſeruitium preſtant, in irretiendis pecunijs ſolertes ſe manifeſtantes, ditati auaritia, inflati ſuperbia, implicati mūdanis, faſtu pleni, immodicé ſibi placentes, & prorſus talpæ. Sileo, inquit uitilitigator, Chriſticidas Romanos Pōtifices quoſdā titulares, uah belle faciūt cum ſeſe paſcunt, ouiū curam Chriſto mandant. Qui ita adherent ſedibus ut ſpongias eſſe credere poſsis, ſuis annexas rupibus: Qui, blaterat, cū uolunt inſpectores dici, habent rationem & reſpectum, ut equeſtres copias contrahāt, in quas copioſiſsimas auri & argenti mineras impendunt: ſybariticas mēſas: Ambitioſum ſtrepitū: ſumptuoſas ædeis: frequens ſatellitiū: Bombicinas ueſtes, &c. Taceo ſimoniacā hæreſim quæ omnibus uobis,

bis, Papiſtæ, (ſic enim probroſè ſoliti ſunt eos appellare qui S. Romanæ eccleſiæ conſtanter parent, & maiorum ueſtigia nondũ tam leuiter deſeruerunt) peculiaris quaſi eſt, ita ut Simonem gratiæ Dei nundinatorẽ innocuũ credere poſsis, &c. Qui pluſquàm Sardanapalicis delitijs immerſi: Quis obſecrò Caucaſus, quæ India, quæ Hircania, tam immanes, tã ſanguinarias beſtias, unquàm aluit? ut interim omittã, luxum, crapulã, faſtum? Neæram quiſq; ſuperſtitioſulus ſuam ſequitur: ſubuerſa ſunt pietatis dogmata. Simon anno ſalu. 53.

Verſa in ſegnitiem fides & omnis.
In quæſtum pietas, ſimul ſecuta.
Miris illecebris placens uoluptas.
Nunquàm delitiæ ſupiniores.
Nunquàm auaritiæ altior charibdis.
Quando ita ambitio negotiata eſt.
Quando nequius inquinatiusúe
Peccatum? patet Iliâs malorum, &c.

Breuiter.

Omnia Sardanapalineis ſunt obruta curis.
Omnia luxuriæ fœdat amarities.
Tempora ſunt, magni quæ prædixere prophetæ
Et quæ non uani concinuere uiri.

*Diſceßit uirgo, deſunt ſaturnia regna.*
*Venerunt duro ferrea ſecla pede.*
*Aetate hac prorſum cecidit ſanctißima uirtus.*
*Regnat ubiq; malum, regnat ubiq; ſcelus.*
*Quando adeo morum probitas iacuit, pietasq;?*
*Quando adeo fidei, inſtitiæq; decus?*
*Non eſt tuta fides hominum generiq; leonũ. &c.*

*Turbati ſunt pietatis ritus, primæ ſedis dignitas proſtituitur ita, ut, qui maledicendo eſt ſeuerior, ad Epiſcopatum populi acquirendum ſit prior ac potior. Euanuit honeſtas ſacerdotalis, deſierunt, qui gregẽ domini paſcunt cum ſciẽtia. Elanguit Canonum exacta diligentia, multa eſt in uobis peccati licentia. Nuſquàm plus tributũ cæremonijs: Nunquàm exundauit iniquitas papiſtica licentius: refrixit omnis charitas, ſubtrahite igitur uos ab ipſis, ad nos conuertimini. Hodie ſplendeſcit Euangelion purum: Nũc læta Libertas: Nos illi Apoſtoli Euãgelici de quibus dominus ait. A fructibus eorum cognoſcetis eos, etc. Prorũpunt ergo, inijce inijce lapides crebros, proijce glebas, adijce teſtas, pcute fuſtibus calũniatores Papiſtas, ſiquidem cõmunes ſunt hoſtes, nec quiſpiam è nobis, Angelicis ſcilicet, exiſtit quem non iniuria affecerint.*

REſpondet Catholicus.

Pſalm. 50.

# Adonai Sephathai tiphtah, uphi, iaghid tehilathecha.

STa Balach, σπεῦδε βραδέως: Troianos exue ceſtus: ponat ſupercilium canalicula triobolaris: μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. Multa ſane & magna ſunt que coaxarunt Ranæ bipedes. Nam & fucum ueritatis habent & multos decipere poſſunt, qui ſacræ ſcripturæ ſonum audientes, ſenſum negligunt, cuius myſteria non uerbo docentur ſed ſpiritu reuelantur, idcirco inquit magnus ille uates Dauid. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Nemo ſcripturam niſi ſpiritu ſancto docente cognoſcit: hinc Paulus, qui in confeſsione fidei perſtitit durus ſilex, ex Saulo hominum piſcator factus, & qui inter chriſticolas dei filium Iheſum intrepidus confeſſus eſt, inquit. Miniſtros fecit nos deus noui teſtamenti non litera ſed ſpiritu, litera enim mortificat, Spiritus autem uiuificat: eſt ergo neceſſarium ſi uolumus Euangelion intelligere, ut ſpiritu ambulemus. Verûm ego quia homo peccator ſum,

Id eſt, ne ante uictoriam encomion.

Pſal. 118.

Paulus.

Galat. 5.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Galat. 5. & iniquitate circundatus, tam altiloquus & præſumptuoſus non ſum, quòd uelim ingenio ſtilo'ue aut eruditione illis, doctioribus me, par uideri, noui enim quàm curta mihi domi ſit ſuppellex, ſed quòd noſtratibus quoquo modo oſtẽdam quàm impiè ſentiant illi, quamq́; pueriliter ſepe hallucinentur, non tamen mihi eripient quocunq; uerborum lenocinio allegationumq́; fuco ueritatem S. Romanæ eccleſiæ: ſpero enim ardenter ſemper mihi adfuturum bonum illum genium, angelum domini, à quo hactenus fideliter ſeruatus ſum: Etiamſi, inquàm, omnes gentes, 1. Mach. 2. quæ ad regiam domum Antiochi pertinent eis obedierint, ut quiq; deſciſcant à patria religione ſua, & acquieſcant mandatis illius, ego tamen, & filij fratres mei, in fœdere patrum perſtabimus: propitius ſit nobis deus ne legem & ritus prodamus: &c. Euge igitur frater, trabem in oculo tuo conſidera atq; exime prius, cura prius teipſum medice, & poſtmodum iuxtà modum fidei, argue & corrige erranteis: Nam qui ſeipſum non conſiderat, inquit Theophylactus, & ſolum attendit res proximi, illasq́; taxare uult, certũ eſt quòd ſuperbia capitur, & obliuiſcitur ſui. Omnino

Vide Hie. ad oceanũ & Pãmachium.

enim

enim de ſe quòd non peccet, ſentit, & propter-
ea alios peccantes reprehendit, &c. hæc ille.
uide aſtutiam, lector, ſub prætextu caſtigatio-
nis aliorum, ſuam nequitiam callidè tegunt. Vn-
de Auguſti. hom. 5. Corrige ergo te, inquit, &
tunc poteris fratrē corripere. Leuiora obijcis,
& grauiora committis. Feſtucam uides, &c.
Hoc autem dixit dominus propter homines qui
cum odio corripiunt. Iraſcentem corripis, &
odio contabeſcis, hæc ille. ad inſtitutum.
FATEMVR quidem abuſus & irregulari-
tatem, proh dolor, irrepſiſſe in agrum domi-
nicum & omnes pij, quibus pluſculum ſani
eſt, conqueruntur, & ut uno uerbo dicam
Cum Propheta. A planta pedis uſq; ad uerti-
cem capitis nulla ſanitas: omnes indigemus
deciſione, omnes declinauimus. Verùm ſu- Eſaiæ 1.
ſtulit'ne Hercules ille Alexicacos, (qui ſolus
mortem alijs inuictam, ſua morte deuicit,
ac Sathanæ tyrannidem cœleſti uirtute demo-
litus eſt.) Apoſtolatum quando Iudas ille
Cacurgus limites exceßit? cenſuit'ne do-
minus deus, Verus Euergeta, & οἰκονό-
μος, extirpandum eſſe agrum, triticum,
propter lolium? Non ergo propter abuſum
tollitur inſtitutio & uſus: Quemad. Chriſtus,
rerum

rerum omnium eximius innouator ex tritico, inquàm, per ipſos meſſores, lolium (id eſt. dogma peruerſum) extirpandum cenſuit, ſed ita ut in eradicando lolio, triticum (id eſt, pure & ſanæ doctrinæ homines) nõ una eradicaretur, Sic abuſum eſſe ſine tumultu & ſtrepitu tollendum omnes Pij exoptant: & quod noſtri aduerſarij de ſuperſtitione & hypocriſi dicunt, contra nos non proponunt. Nam & nos omnes Giezitas, omnes tyrãnicas exactiones, omnem philotimian, hypocriſim, ſuperſtitionem: Breuiter, omnes abuſus & cacoethes, angue & cane peius odimus: nemo tam hebes eſt, qui ignoret puram & ſimplicem eſſe debere religionem & pietatem cum charitate coniunctam. Solent quidem in uineto uuæ degenerare in labruſcas Solet inquã aliquãdo tota penè facies eccleſiæ in nimiã uitiorũ lernam eluxuriare, ſed hæc omnia flagitant canonicæ cenſuræ falcem, aliâs certè uereor eccleſiaſticam diſciplinam que multis partibus hactenus deformata, priſtinæ dignitati & nitori minime poſſe reſtitui, quod ingenuè fatẽtur et uerecũde agnoſcunt mecum omnes Chriſtifideles pij, Nequaquam igitur uitium ſacerdotis, dignitati & efficatiæ præiudicat myſteriorum, Vnde: Etſi ſacerdos, ut repetam, etiam

Vide Aug. de fide, & operibus cap. 5. & eundem Tractatu 6. in Euan. Ioan. &c.

ualde

ualdè fuerit detractabilis in nullo tamen ledens eſt ea que commiſſa ſunt à deo, inquit Chryſoſtomus. Idcirco medendum uitijs, etſi quid corruptum, ſi quid collapſum. ſi declinauit alicubi amuſſis per congruentia media decidatur, &c. Scabies peſsima lixinium aſperum requirit: perq; legittimam authoritatem reſtaurantur cuncta, citra tumultum tollantur, nec prorſus omnia radicitus ſtirpitusq; euellantur per tyrãnidem, ut alicubi eſt attentatum: ſed ſublatis abuſibus, res ipſa atq; ſtatus ſit integer, ſit incorruptus.

Vnde expectãdus eccleſiæ decor, reformatio & unitas.

Alioqui certe certe, niſi nos ipſos iudicemus, 1. Corin, 11. à domino iudicabimur: Neceſſe enim eſt ut iudicium incipiat à domo dei, quòd certè hodie uidemus, dum enim nunc eijciũtur ſacerdotes, conculcantur ab hominibus, quid aliud hoc indicat, quam diuinum de nobis iudicium? Quod prædixit Chriſtus ἀνὴρ ἀνατολὴ, dicẽs. Sacerdotes mei ſunt ſal terræ, Matth. 5. (ſal præcipuus corruptionis expulſor eſt) quòd ſi ſal euanuerit, ad nihil ualet ultra, ſed eijcitur foràs, & conculcatur ab hominibus: (templum dei ſanctum eſt, quod eſtis uos, inquit Auguſtin. Ser. 108. de tempo) Hæc uerò omnia nos nunc patimur, quòd ſi propter iuſtitiam nos cribrari permittit deus. ut noſtros maiores, beati nos

Nota.

Id eſt, uir oriens, zacha. 3. 6. &c.

Sacerdotes ſal terræ. Templũ dei.

ſal

quidem, at nunc iuſte quidem, quia, ô dedecus, ſal euanuit, & noſtra ingratitudine offenſus eſt deus: Breuiter. Geon harab, hoc eſt, magnus faſtus, omniũ malorũ unica eſt cauſa: (Sacerdotes legis tranſgreſſores increpat dominus, Malach. 2. &c.) minime autem proter iuſtitiam patimur, in omnibus enim noſtris afflictionibus uidemus iudicium dei, atq; utinam quidem illud uideremus oculis internis, ſic enim flagella effugarentur remouenturq;: Si enim Sodomitas, inquit Saluianus lib. 4. minus dicit eſſe dãnabiles, quàm cunctos Euangelia negligentes, certiſsima ergo ratio eſt, qua et nos qui in plurimis Euangelia negligemus, pœnas aliquando timere debeamus: præſertim cum uſitatis iam & quaſi facilioribus malis eſſe contenti uolumus, hæc Saluianus. Ad inſtitutum. Illud cauendum eſt, ne morbo ſint atrociora remedia: Si quid irrepſit hominum uitio, fiat idem, quod à probis medicis fieri ſolet, uitia rerum tollantur, non res ipſæ: offenſus eſt deus ocio, luxu, auaritia, ſuperbia, libidine ſacrificulorum; pro delitijs ſtudium ſacrarum literarum, pro luxu ſobrietatem, pro libidine caſtimoniam induant, pro ſuperbia pænitentiam: ſcriptum enim,

Expurgãdum uetus fermentũ non abijciendum.

Luc. 16.

Redde

REdde RAtionem Villicationis tuæ: REdde quod debes. Quòd ſi altera pars nihil omnino nouari patitur, quò ad abuſus. Altera nihil patitur relinqui, quis erit contentionis finis? Si eccleſiæ Præſules prothomiſſtæ, ſi principes prophani ſepoſitis mundanis affectibus (inquit Eraſmus ad Neocomum) nihil ſibi proponerent niſi domini gloriam, et eccleſiæ Spirituale commodum, malum abſq; magno tumultu facile ſedari poſſet, hæc ille. Sed interim iraſcitur etiàm deus diſſolutis paſtoribus, quòd gregẽ domino chariſſimum quem ter amare, ter paſcere debuerant, negligunt, deglubunt, eoq; nobis immittit lupos hæreſiotas. Et Iuſta certè hoc peccatorum noſtrorum retributio, qua nos miſericors deus potiùs admonere quàm funditus delere uoluit, ſi quãdo reſipiſcẽtes à noſtris ceſſaremus delictis, et utinã hucuſq;, ſed timendũ ne maiora reſtent. Noſtratibus idcirco zelus ſummopere eſt deſiderãdus. Chriſti, Io. 2. Phinees, Nu. 25. Regis Iehu, 4. Reg. 10. Helæi, 3. Re. 19. Et à uobis Sacerdotibus requiritur ut eruditi ſitis in lege, et quicquid in ſacris literis continetur, pro uiribus ediſcatis, alioquin ſecꝰ faciẽtes ſacerdotio indigni. Oſe. 4. inqt dominꝰ Quia tu ſciẽtiã repuliſti, repellã te ne ſacerdotio fũgaris Matth. 25.

& alio

Diſcipli-
næ eccleſi-
aſticę quã
ſit nunc
diſſolutus
rigor.

Sopho. 3.

*& alio in loco dominus. Væ paſtoribus Iſraël, qui pauerunt ſeipſos, an non gregem debent paſcere paſtores? pingue comeditis, lana induimini, quod craſſum eſt mactatis, gregem nõ paſcitis: debile non confortaſtis, ægrotum non ſanaſtis, confractum non obligaſtis, propulſum nõ reduxiſtis, & perditum non quæſiuiſtis, quin in duritia & ſæuitia dominati eſtis eis, & errauerunt abſq; paſtore, fueruntq; cibus omni beſtiæ agri, & palantes:* Errauit grex meus in omni*bus montibus, atq; in omni colle excelſo, & in omni ſuperfitie terræ diſperſus eſt grex meus, nec eſt qui quærat aut requirat.* Eadem incul*cat dominus.* He*ſai.* 56. Ezech. 13. Micheæ. 3. Hiere. 23. &c. Huius *etiam meminit* Cyprian. Epiſt. 13. lib. 2. Q*uæ eſt enim maior, inquit, aut melior cura præpoſitorum, quàm diligenti ſolicitudine & medela ſalubri fouendis & conſeruandis ouibus prouidere, cũ dominus loquatur & dicat* Ezech. 34. Q*uod infirmum non conſolidaſtis?* VIGilate *ergo* PASTores: *pacificum* Haleluia *Apoſtolica tuba ebuccinate: ſitis* μεγάλοπιςοι: Theophori: *Chriſtophori: pneumatophori.* Hebr*æi, id eſt, docti.* Hedr*æi, id eſt, Cõſtantes: Semper ſit in ore illud octoſtichon.*

Hoceſt,
magnæ
fidei.

Impro-

Improbus æris amor procul eſt à numine noſtro
Non tangit diuos improbus æris amor.
Nolo magiſtratus, & nolo regia ſceptra,
Nolo diuitias Cræſe ſuperbe tuas.
Applauſum uulgi nolo, noloq́; fauorem
Nolo me plebes inſcia ſuſpiciat
Quicquid et in mũdo magnũ, præſtãsq́; uidetur
Pro nihilo ducunt numina noſtra quidẽ etc.

Digreſſio.

Deus bone mellitum illud uenenum (auri ſacra fames) in quas curas, quas ſolicitudines, quas turbas, quæ diſpẽdia, quæ dedecora, in quã mentis conſcientiæ carnificinam, in quam infelicem exitum, miſeros auaros adducit? (de caducis facultatibus, & deuitanda auaritia, Pſal. 75. Hiere. 6. Eſa. 59. Lu. 12. Pſal. 61. Eccl. 8. etc.) et ut Auidij Caſſij uerba ex eius epiſtola repetã. Quoniam, inquit, ſi hoc malum priuato homine indignũ eſt, certe in myſtis nefarium atq; mulctandum. Saluſti, BElua inanis intoleranda eſt auaritia (teſte Apoſtolo, craſſa eſt idololatria) quo intendit: oppida, agros, phana atq; domos uaſtat, diuina cum humanis permiſcet, neq; exercitus, neq; mænia obſtant, quo minus ui ſua penetret, fama, pudicitia, liberis, patria atq; parentibus cunctos mortales ſpoliat, tanti

Auaritia tetrabelua Pecunia, quæ per ſe nihil eſt, digladiationes, & acerbas contentiones excitat.

*criminis ſola eſt auaritia parens: ex quo illa nobilis ac uehemens execratio, ſi eſſent Inferi auaritiæ cuniculi eos refodiſſent, quod ob eam rationem Crinitus obſeruauit, ut facilius conſideraretur, quantum ætate noſtra in eorum dignitate ac imperio ſperandum ſit, qui ad aurum & diuitias congerendas animum ſemper intendunt, cum ſit hoc uitium præter cætera omnia uitioſiſſimum. Ex opum, & potentiæ, & claritatis cupidinibus naſcuntur lites, rixæ, iurgia, pugnæ, cædes, odia. Ex illarum uerò neglectione quies, & pax, & amicitia, &c. Aquila auium rapaciſſima, non oppetit morbo, neq; ſenio, ſed fame. Ita auarus quo magis accedit ætas, hoc magis cruciatur habendi ſtudio, & minus poteſt uti partis. Quid enim faciunt 100. millia ducatorum, ubi duo aut tres ſufficiunt? Quod ſi peſtis illa quæ cæca facit pectora, Auaritia, finis hominum, quid eò miſerabilius? His uerò quid turbulentius, atrocius, ſæuius? Qui febribus laborant è diuerſis diuerſa capiunt, hoc eſt è calidis frigeſcunt, è frigidis caleſcunt. Sic & auaritia moleſtiam adfert ſtultis, gaudium ſapienti. Breuiter: diuitiæ ſunt Adonidis horti: et dignitatum mundanarum contemptus*

Cuius ſunt uniuerſa, caruit hic diuitijs. Arrigite aures Gieziticæ ſimoniaci.

temptus, eſt hominis ueri Chriſtiani. Qui auro ſeruit, tabernam præfert templo, emporium ſacrario. Mundus eſt illi regnum dei. Auraria, beatitudo. Et Indicæ formicæ inſtar, abſconditum theſaurum ſeruat auarus, ex homine fit plane pecus & fera. Philargyriæ finis, auernus, ibi auarus iuxtà atq; prodigus auri, guttulam aquæ frigidæ, non inueniet in refrigerium. Auarorum diuitiæ, inquit Socrates, ut ſol poſt occaſum, neminem mortalium oblectant. Auaritiæ finis. Auaritia procreat proditionem, Fraudem: Fallaciam: periurium: Inquietudinem: Violentiam: obdurationem contra miſericordiam, &c. Et ſicut ſpinæ non ſinunt ſemen emicare, inquit D. Chryſoſto. ſuper 33. cap. Genes. hom. 59. Ita & diuitiæ ſeu temporales curæ ſpirituale ſemen quod in anima ſeminatur, non ſinunt fructum afferre: Sed adurunt & ſuffocant ſicut ſpinæ profectum eius retardantes. Amor pecuniæ omnes uirtutes humi deijcit & pedibus conculcat: ſæuit ut barbarus: fertur crudeliter ut tyrannus: debachatur impudenter ut meretrix: nuſquam miſeretur: nuſquam pudet: adeſt ubiq; dura, ubique terribilis: dira: inclemens, impia, truculenta, & cum lupis & urſis ac

διὰ μὲ πάντα γένονται: loquitur alio in loco Auaritia.

 leonis

leonibus ferocius ſæuit, ſuauis tamē hominibus, ſi modo dicendi homines ſunt, uidetur & amabilis. Cūq; his qui eam deſiderant & exoptant gladios acuat quotidie, foueas & præcipitia paret: ſcopulisq; eos mille & mille naufragijs illidat: Expetitur tamē ab eis & deſideratur & quæritur ac per mortes ſuas innumeras lætantur, ſe aliquādo ad eius ſaltem ianuam perueniſſe, &c. Nam qui fluxis rebus, quales ſunt honores, deliciæ, opes etc. nituntur: uelut fretū cōtinuis agitantur procellis, & nuſquam quieti ſunt. Recte itaq; mari cōparantur, iuxta illud Eſai. 57. Impij autē quaſi mare feruens, & redundāt fluctus in conculcationem & lutū. Nec hoc reticendum interim, diuitias quidem in domum admittēdas eſſe, at nō in animū, &c. De Auari calamitate, Luc. 16. 1. Cor. 6. Auaritia prohibetur, Lu. 12. Eph. 5. Col. 3. heb. 13. Punitur, Mat. 27. 1. Co. 6. Auaritia infamat, Eph. 4. 2. Pet. 2. Supplātat proximū, Mat. 26. Iac. 4. &c. Sed iā dudū tempus eſt, ut ad id quod inſtitueram noſtra recurrat oratio, Hæc enim quandò huc nō ſpectāt (neceſſaria tamen) non immorabor amplius.

Dicite ergo Paſtores cū Prudentio, ô tortuoſe ſerpens, qui mille per mæandros fraudesq; flexuoſas agitas quieta corda, diſcede, etc. Reuo

cate

cate in memoriam illud Roberti Gaguini tetra-
ſtichon.

Congeries nos fallit opũ, nos fallit et ætas,
Nec fida eſt ullis quæſita potentia regnis.
Deſerit elatos ſublimis gloria reges.
Calcat & excelſum mors protinus atra tri
bunal, &c.

Et cum Luſcinio.

Conſcendi terram nudus ſubiturus eandem
Nudus, quid molior ? mors quoq; nuda uenit
&c.

Eccleſia ergo, ut tandem uela contraham, regnum Chriſti & ueritatis penitus in rebus fidei errare non poteſt, poteſt quidem in morum ſynceritate deflectentes perferre, ſed quantum ad ueram religionem, ad uerũ cultum, ad profeßionem ipſam atq; regulam fidei ſiue articulos atrinet, nunquàm fallitur: Simoniam Gieziianam labem, ambitionem, ſcortationem, & hoc genus in clero perpetitur. Aulicã item tyrannidẽ & pompam, torneamenta, &c. deinde etiam uaria uitia plebis, diabolus fouet in eccleſia

Non perſonæ reſpiciende ſed res ipſæ.

militante, quæ eccleſia, licet ferat, nunquàm tamen aut diſsimulauit, aut probauit, Falluntur igitur Impij, qui eccleſiam erroris alicuius fidei articulorum diſsimulant: hallucinantur item ſciſmatici, qui propter abuſus ab ipſa matrice eccleſia deficiunt. Nos quidem, fatemur, peccatores eſſe poſſumus, hæretici uerò minime: hæreſis exotica dogmata eligit. Hyprocryſis uerò bona opera tantum ſimulat, &c. Neq; fugimus lucem, quemad. Lucifugi zythobibuli turpiter ganniunt, ſed nolumus tenebras pro luce. Nec conſtituimus nouum tribunal, ſed ad hoc prouocamus, quòd perpetuò in Eccleſia conſtitutum fuit. Nec tam præfracti ſumus, ut iudicio noſtra uelimus iudicio totius eccleſiæ præferre, &c. Neq; tamen interim, ut alibi diximus, dormitantes, & tantorum malorum diſsimulatores excuſantur prælati, quorũ eſt hæreſes, abuſus, irregularitatem ſedulo extirpare. Si enim tollerentur abuſus, ſi extirparentur hæreſes: non ſic terra humano ſanguine maderet, non arua cadaueribus tegerentur cæſorum, non uiduæ non pupilli orbitatem ſuam deplorarent, uere miſerãdam, manerent omnia incontaminata: Gehenna uos comprehẽdet præſides eccleſiæ niſi hic uigilaueritis, &c. Sed qui

Hæreſeos & hypocriſios differentia.

Prælati abuſus non corrigẽtes prȩuaricantur.

ex

ex deo eſt et ueritate, uidet eccleſiam roſam inter tot ſpinas abuſuum & hæreſion, baſin et firmamentum ueritatis.

## Bona Temporalia Eccleſiæ unde.

Rerum uerò terrenarum, inquit Ficinus, dominatio & adminiſtratio pontificibus acceſſoria eſt tanquàm accidens, non in quantum uicarij dei, ſed in quantum Conſtantini cæſaris ſunt hæredes, hactenus ille. Donationis Conſtantini mentionem facit D. Ambroſius, hic, ut eſt de obitu Theodoſij Imperatoris, præſente Honorio aſſerit Conſtantino Baptiſmatis gratiã in ultimis diebus contigiſſe. Et quòd primus Imperatorum crediderit, poſt ſe hæreditatem fidei principibus derelinquens. A Conſtantino autem uſq; ad Theodoſij tempus Imperatores 5. fuerunt: à tempore uerò Conſtantini uſq; ad id tẽpus quo Valla uixit ferè 70. interuenerunt, notiorem ergo exiſtimo hiſtoriam S. Ambroſij, quàm Vallæ, &c. Quæ Pipinus ablata Longobardis ſuperciliosis Ro. eccleſiæ (pontif. Stephan.) reſtituerit, demonſtrat Pighius lib. 5. cap. 16. eccle. hier. Hæc auxit Carolus magnus adijciens Corſicam Inſulam, & quicquid inter Lucam & Parmam interiacet.

Donatio Conſtantini. Imp.